



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Osvvaldus Rex C. 5. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

possum? Certè opibus unica MARIA digna omnibus est. Imò JOANNES non sum, si hæredem MARIAM non scribo. Eja igitur Virgo, tu sola jam tabulas imple. Filio si careo, certè tu non cares, qui cum animum æternum oblectem. Audiit JOANNEM MARIA, & affem omnem in montem Exquilinum conferre jussit templo exædificando eo in loco, quem postero mane nivibus insignem esset factura. Et erat tunc æstus longè maximus & facilius utique grandinem quàm nives daturus. Adit tamen JOANNES locum, & reperit undique niveo vellere vestitum. Sed & Liberius Pont. Max. in somno à VIRGINE monitus accedit & fundamenta templi jacet, quod per omnem orbem hodie clarum MARIÆ MAIORIS nomen gerit. Miraris, Sodalis, miraculum? laudas templum? At tu castas ostende sis mihi in animis nives plures; plura ego VIRGINIS templa monstrabo.

Ex Brev.

Meritò in te ô Maria virgo respiciunt oculi totius creaturae, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis quicquid creaverat, recreavit. S. Bern. serm. 2. in festo Pentecost.

S. OSVVALDUS REX C. 5. Augusti.

Purpuram qui bis tingunt, etiam OSWALDVM laudabunt, Angliæ Regem, qui suam suo iterum sanguine tinxit. Dubium planè reliquit, an Christi hostes vicerit, an ab his victus deinde sit gloriosius. Pugnaturus cum parvâ manu contra ingentes Britonum copias, trophæum tamen ausus est ante victoriam ponere Crucem, quam adorasse illi cum suis, vicisse fuit. Abhinc regni Christiani proferendi cupidissimus dignum rege munus

munus est arbitratus, dicenti ad populum Aidano Antistiti interpretem assistere. Pium animum illud prodit, quòd sub solemnes Paschatis dies non modò qui mensæ illati erant, cibos, sed ipsam etiam argenteam lancem in frustra cedere & absu- mi à rogatoribus voluerit. Aidanus, quem tum mensæ adhibuerat OSWALDVS, tam benignam manum amplexatus atque exoscularus fertur jus- sisse nunquam exinde putrescere. Et parere hæc visa est, cum cæso sub annum DC.LII. à barbaris domino, loco infami unà cum capite suspensa an- num integrum integra (uti & deinceps) perdura- vit. Ipse OSWALDVS tunc quoque cum in acie oc- cumberet, supinis pro more in cælum manibus orare in genibus deprehensus est, eodemque loco ad hominis altitudinem egesta humus omnes morbos vicit, ut vel ideo voluisse illic cadere OS- WALDVS videatur, quòd ægri tot inde surgerent.

Ex Sur. & Graf.

Vide rationem; facile judicabis parricidiali crimine contemni pauperes nostro arbitrio; quos nullo videmus à nobis DEI opere discretos. S. Paulin. ad Aletium ep. 31.

S. AFRA MARTYR. 5. Augusti.

Quam neque Naso dedit Metamorphosin, nos damus ex Venere Dianam, AFRAM inquam Augustæ Vindelicorū probrum primò, pòst uni- cum decus. Magdalim diceret alteram, nisi quos hæc lacrimis, illa ignibus etiam ignes plecteret. Diis devota omnem jam pudorem malè prodiga litaverat, cum Narcissus Præsul fidem Christia- nam exul circumferens tectis impuris, successit. Hic AFRA, dum prædam captat, precabundi pri- mò ad mensam modestiã, dehinc verborum de Deo,